



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

293. Si Episcopus non excommunicet prædatorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

da est, ne eos recipient antè quam illuc redant ubi rapinam fecerunt & omnia pleniter emendent.

In Capitulis Karlomanni, & apud Burchardum, tum etiam apud Iwonem & Gratiatum, & in prima collectione Decretalium, longè diversa est editio istius capituli ab ea quam præfert collectio Reginonis. Nulla enim illic mentio fidelium Regis, ut neque in sequenti capite. Quin & in veteri codice Reginonis, quo nos usi sumus, hac verba, & fidelibus nostris, cultelli ope erasa sunt in his duobus capitibus, sic tamen ut manifesta vestigia supersint veteris lectionis.

De eadem re. *Vnde suprà.*

Capitula Kar.
lom. ibid. c. 8.
Burciard. lib.
II. c. 12.

CCXI. Placuit nobis & fidelibus nostris pro communi utilitate & instanti necessitate ut nullus Episcoporum graviter ferat si ejus parrocchianum pro hujusmodi depraedationis causa alter Episcopus excommunicaverit.

De eadem re. *Ex eodem.*

Capitula Kar.
lom. ibid.
c. 10.

CCXII. Si aliquis autem regiam potestatem & episcopalem auctoritatem pro nihilo duxerit, & rebellis existens in rapina occisus fuerit, nulli fidelium nostrorum, qui eum occiderit, aliquis faidam portet, neque pro ejus morte aliquid componat.

Si Episcopus non excommunicet prædatorum. *Ex Concilio ad Pistas.*

Concil. Tolet.
6. c. 7.

CCXIII. Episcopus autem secundum

Toletani Concilij capitulum septimum, ad quem pertinere noscuntur illi qui talia contra Deum & Ecclesiæ pacem faciunt, si eos quolibet munere vel favore aut neglegentia * admonere aut excommunicare distulerit, ut aut revertentes suscipiat, aut contemnentes de Ecclesia eiciat, excommunicatus à collegio ceterorum habebitur quousque emendatio nis vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur. Quoniam nisi communiter ceteraverimus ut in omnibus justitia conservetur, nec Rex pater patriæ, nec Episcopi propitiatores & reconciliatores populi, nec qui participatione nominis Christi Christiani vocamur, hoc quod humano ore dicimur in divinis oculis esse valemus.

Item de rapacibus. *Ex Concilio Mogonciacensi.*

CCXCIV. Quisquis fastu superbiae elatus domum Dei dicit contemptibilem, & possessiones Deo sacratas atque ad honorem Dei sub regiae immunitatis defensione constitutas inhonestè tractaverit, vel infringere præsumperit, aut incendia vel vastationes ausu temerario perpetraverit, quasi invasor & violator Ecclesiæ Dei, quæ est domus Dei vivi, à communione omnium fidelium abscidatur. Decet etiam ut indignationem Domini Regis sentiat, cuius benevolentia contempsor & constitutionis prævaricator extitit.

Capitula Kar.
Calvi Tit. 29.
tag. 277.

* In Capitu-
lis Karoli
Calvi, adm.
noluerit, ut
autrev.

Concil. Mo-
gunt. sub
Rhab. c. 6.
Burchard. lib.
II, c. 23.